

de propria alicujus particularis justitia enunciatum fuit; quia de hac postmodum subjungitur, quomodo signis et conjecturis agnoscatur.

Inst. 3. Dantur ratiocinia, quorum *propositio* est universalis revelata; *assumptio* est physice vel moraliter evidens, et *conclusio* est legitima, infertque hominem determinatum esse justificatum; ergo. *Prob. Ant.* Ejusmodi sunt 1^{um}. Qui sacramentum baptismatis rite suscipit, justificatur: sed potest quis esse physice vel moraliter certus tam ex parte ipsius materiae et formae, quam ex parte ministri et sui tanquam subjecti, baptismum a se esse rite susceptum; ergo. 2^{um}. Qui longo tempore non peccat mortaliter, est in gratia Dei: sed potest quis certo experimento novisse, se non peccasse mortaliter; ergo.

R. N. A. *Ad prob.* In utroque ratiocinio negatur assumptio; de prima quidem constat ex dictis in postrema theses assertionem: de secunda docent exempla Jobi, Davidis et Pauli ibidem relata.

CAPUT III.

DE MERITO.

Meriti nomen affectionem quamdam actibus humanis, vel alterius creaturae rationalis operibus propriam significat, cui merces vel retributio correspondet; quae quidem retributio tam in partem malam et pro supplicio, quam in bonam partem et pro praemio accipi potest; usu tamen a Theologis jam diu receptum est, ut *meritum* simpliciter dictum in bonam partem et pro merito praemii sumatur; acceptum autem in malam partem vocetur *demeritum*, vel meritum cum addito, malum, aut supplicii. Sic vero meritum *generatim* sumptum describi potest opus dignum praemio, dignitas praemii, vel valor operis, propter quem debetur boni cujusdam retributio.

Dividi *universim* solet ratione praemiatoris in meritum apud hominem, et in meritum apud Deum; ratione praemii in meritum naturale, et in supernaturale vel theologicum; hoc vero ulterius distinguitur in meritum *de condigno* et in meritum *de congruo*; prius meritum simpliciter dicitur et ex justitia, seu cui ex justitia, sive ea rigorosa sit et stricta, sive minus stricta, praemium debetur: posterius etiam meritum secundum quid et ex congruentia appellatur, seu cui praemium ex quadam decentia debetur.

ARTICULUS I.

QUAENAM CONDITIONES AD MERITUM THEOLOGICUM REQUIRANTUR.

434. *Nota I.* *Conditiones* ad meritum proprium constituendum universim repeti possunt vel ex parte ipsius operis meritorii, vel ex parte personae merentis, vel ex parte personae remunerantis. Praecipua difficultas circa conditiones illas versatur, quae se ex parte ipsius operis meritorii tenent.

Conveniunt quidem facile omnes 1^o. quod meritum debeat esse actus positivus. 2^o. Actus in obsequium Dei praestitus; quia sine eo potest quidem opus esse laude, non autem praemio dignum. 3^o. Quod etiam cedere debeat in commodum vel emolumentum Dei, si quidem per illud intelligatur commodum extrinsecum, gloria nempe, laus, et hujusmodi similia; cum haec operibus humanis respectu Dei tribuat ipse Christus Matth. 5. v. 16. dicens: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est*: non vero si intelligatur aliquid Deum intrinsece afficiens; quia sicut Job. 35. v. 6. dicitur: *Si peccaveris, quid ei nocebis? et si multiplicatae fuerint iniquitates tuae, quid facies contra eum?* ita mox v. 7. additur: *Porro si juste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?*

435. *Nota II.* Discrepant vero Catholici ab haereticis, quorum aliqui minus, alii plus ad meritum exigunt, quam re ipsa necessarium sit. Ad primam classem pertinent *Janseniani*, quibus libertas a coactione; *Pelagiani*, quibus bonitas naturalis; *Semipelagiani*, quibus existentia conditionata duntaxat videbatur sufficere ad meritum. Ad secundam spectant *Lutherani* et *Calviniani*, qui ultra conditiones vulgo assignari solitas exigunt, ut opus meritorium sit prorsus indebitum, penitus nostrum, et nulla ratione praemiatoris, ac omnino aequale cum mercede. Equidem nonnulla etiam est discrepantia inter ipsos *Catholicos*, maxime circa charitatem, quam quidam quasi radicem omnis meriti exigunt; sed haec controversia salva fidei integritate, alibi tractatur.

436. *Dico I.* Universim ad meritum theologicum requiritur EX PARTE OPERIS MERITORII, ut sit actus creaturae rationalis 1^o. quidem liber a necessitate, 2^o. moraliter bonus, 3^o. supernaturalis seu ex auxilio gratiae procedens, 4^o. in aliqua temporis differentia absolute existens; EX PARTE PERSONAE MERENTIS, ut, qui meretur, sit viator; EX PARTE DEI REMUNERANTIS, ut adsit ordinatio divina meriti ad mercedem saltem consequens, seu talis, qua opus acceptetur in meritum actuale et efficax determinati praemii.

Pars I. Quoad 1^{am}. conditionem constat tum ex verbis Eccli. 31. v. 10. *Qui potuit transgredi, et non est transgressus; facere mala, et non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino*: tum ex definitione TRID. Sess. 6. Can. 4. ac condemnatione propositionis tertiae Jansenii: tum ex S. AUG. L. de nat. et gr. c. 65. : *quod ait (Pelagius) a memorato dictum esse presbytero (Hieronymo), Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur; alioquin ubi necessitas, nec corona est, quis non agnoscat? quis non toto corde suscipiat? quis aliter conditam humanam neget esse naturam?* tum ex *ratione*, quae docet nihil posse imputari ad meritum, quod non est sub potestate et electione operantis.

Quoad 2^{am}. rursus constat tum ex verbis Genes. 4. v. 7. *Nonne, si bene egeris, recipies: sin autem male, statim in foribus peccatum aderit?* tum ex TRID. Sess. 6. cap. 16., ubi ad versum 58. ex 1. ad Cor. 15. provocat, et aliquoties repetit *bona opera* esse, quae apud Deum merentur: tum ex *ratione*, quae docet *malum* opus utpote poena dignum non esse meritum; *indifferens* autem opus non esse meritum potius, quam demeritum, nec afferre Deo

utilitatem quamdam et commodum, quæ tamen conditio ad meritum ab omnibus asseritur : tum ex universa omnium conspiratione, cui nemo sanus serio contradixit.

Quoad 3^{am}. iterum constat tum ex verbis Apostoli 1. ad Cor. 4. v. 7. *Quid habes, quod non accepisti?* et ad Philipp. 2. v. 13. *Deus est, qui operatur in vobis velle et perficere pro bona voluntate* : tum ex ARAUS. II. Can. 18. *Debetur bonis operibus merces, si fiant; sed gratia præcedit, ut fiant*; cui TRID. Sess. 6. Can. 2. concinit : tum ex S. AUG. libris omnibus contra Pelagianos et Semipelagianos : tum ex ratione, quæ docet inter meritum et præmium debere esse proportionem.

Quoad 4^{am}. tandem, tum ex verbis Christi Luc. 10. v. 13. *Si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis; olim in cilicio et cinere sedentes pœniterent*; ex quibus habentur merita conditionate existentia, sed tamen absque præmio, cum idem iudicium in has urbes ac in Sodomam futurum versu subsequenti addatur : tum ex ARAUS. II. Can. 5., TRID. Sess. 6. Cap. 3., ubi statuitur initium fidei et salutis gratis dari et non ex merito; quod non foret, si mere conditionate futurum posset habere rationem meriti : tum ex AUG., qui hunc errorem L. de præd. Sanct. c. 12. n. 34. et L. de don. persev. c. 9. n. 22. et c. 12. n. 31. data opera expugnat : tum ex ratione, quæ docet, præter finalem causam, omnem aliam, adeoque et moraliter efficientem seu meritoriam, præsupponi suo effectui secundum realem existentiam saltem ordine naturæ; quod autem sub conditione nunquam existente tantum futurum esset, nec est, nec futurum est, nec fuit; atque hinc realem existentiam non habet.

Prob. II. Pars. SCRIPTURA et TRADITIO docent, 1^o. tempus vitæ tantum esse tempus meriti, Eccli. 14. v. 17. *Ante obitum tuum operare justitiam*; et c. 18. v. 19. *Ante iudicium para justitiam tibi*; et v. 22. *Ne verearis usque ad mortem justificari*. Item Joann. 9. v. 4. *Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est*, ut S. AUG. Tr. 44. in Joann. n. 4. et seqq. exponit.

2^o. docent, tempus mortis esse tempus retributionis; Eccli. 11. v. 28. *facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas*; et Luc. 16. v. 9. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis; ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*; quam parabolam S. HIER. ep. 151. ad Algas. q. 6. (al. 121. c. 6.) de morte et mercede cælesti explicat.

3^o. docent, post mortem non dari locum aut tempus meriti; Eccl. 9. v. 10. *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare : quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quod tu properas*; et c. 11. v. 3. *Si ceciderit lignum ad Austrum; aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit*; Joann. 9. v. 4. *Venit nox, quando nemo potest operari*.

Conf. Tum quia oportebat posse perveniri ad terminum : tum quia, sicut Deus hanc vitam destinavit militiæ et labori, sic in altera posuit coronam et mercedem : tum quia meritum fundatur in fide, quæ cum visione beatifica non stat.

Pars III. prob. Quamvis in meritis nostris sive condignitas et proportio, sive congruitas ad præmium supernaturale supponatur, tamen statuenda etiam est necessaria quædam Dei ordinatio : tum quia Deus, qui suaviter et sapienter omnia disponens, nec addens aliquid superfluum de facto ita disposuit, ut indicat illa sententia : *Tanta est misericordia Dei, ut nostra*

voluerit esse merita, quæ sunt dona sua; quam COELESTIN. Papa ep. ad Episc. Galliæ c. 9. (Labb. t. 2. p. 1617. E.), AUG. ep. 105. (al. 194. c. 5. n. 19.), CHRYS. hom. de Adam. et Eva. (opp. t. 1. p. 209. C. ed. Lat. Duçai, Antwerp. 1614.) et TRID. Sess. 6. c. 6. usurpavit : tum quia ad relationem, quæ intercedit inter merita et præmium non sufficit sola illa proportio sive dignitatis, sive congruitatis, sive medii, utpote non physica, sed moralis, atque hinc tantum fundamentum remotum; sed requiritur proximum, quod non habetur per aliud, quam ordinationem, vel pactum Dei; quemadmodum id ex rebus humanis constat, ubi, quamvis inter cursum in stadio et bravium, inter actiones litteratorum aut militum et præmium, habeatur aliqua vel condignitatis, vel congruitatis proportio, pactum tamen vellex potestatem habentis intervenire debet ad relationem perfectam habendam.

Conf. Quamvis inter merita Christi et redemptionem dæmonum, inter bona opera angelorum, beatorum et animarum purgantium ac præmium sive essentielle, sive saltem accidentale intercedat condignitas, vel alia proportio, tamen non fuerunt, aut sunt actuale et efficax meritum hujus præmii; idque vel defectu acceptionis divinæ, vel defectu status viæ, quæ conditio ex libera Dei ordinatione habetur; ergo.

437. Dico II. Ad meritum de condigno requiritur 1^o. EX PARTE OPERIS MERITORII, ut aliquo modo sit æquale præmio; 2^o. EX PARTE PERSONÆ MERENTIS, ut, qui meretur, sit justus; 3^o. EX PARTE DEI REMUNERANTIS, ut præcesserit promissio; 4^o. EX PARTE PERSONÆ, CUI QUIS MERETUR, ut ipse sibi mereatur : ad meritum de congruo sufficit 1^o. ut adsint conditiones ad meritum universim requisitæ, et 2^o. vel una desit ex requisitis ad meritum de condigno.

Pars I. Quoad 1^{am}. conditionem constat : quia retributio meriti maxime condigni in Deo est opus aliquod justitiæ, cum Matth. 16., ad Rom. 2., 1. ad Cor. 3. et alibi passim dicatur *merces secundum opera vel laborem*; et 2. ad Tim. 4. appelletur *corona justitiæ*; imo ad Hebr. 6. v. 10. addatur : *Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri*; ergo aliqua æqualitatis proportio requiritur, quam non tam a gratia actuali, quam ab habituali repetere oportet : utpote quæ sola et proprie juxta ep. 2. ad Cor. 1. v. 22. *Pignus Spiritus*; juxta Joann. 4. v. 14. *Fons aquæ salientis in vitam æternam*; juxta 1. Joann. 3. v. 9. *Semen Dei est et appellatur*.

Quoad 2^{am}. constat tum ex verbis Christi Joann. 15. v. 4. *Sicut palmæ non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis*; et ex verbis Apostoli ad Rom. 8. v. 17. *Si autem filii, et hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi : si tamen compatimur, ut et glorificemur*.

Tum ex TRID. quod Sess. 6. c. 16. de merito agens solorum justificatorum meminit, uti et can. 32. definiens, bona opera ita esse dona Dei, ut simul sint merita, de homine justificato duntaxat agit : tum ex damnatione propositionum Baii 13. 16. et 18., in quibus status gratiæ et adoptionis ad meritum requiri negatur.

Tum ex S. AUG., qui L. de sp. et litt. c. 3. 8. 9. et 29., L. de fid. et op. c. 14. et alibi docet, nos non posse operari justitiam, seu mereri ex justitia, nisi prius justificemur, cui plures Patres alii apud Suarez consentiunt.

Tum ex ratione, quæ docet, non satis esse ad meritum de condigno pro-

portionem, quæ ex ipsa velut substantia operi accedit, sed requiri simul eam, quæ ex habitudine ad personam operantem exurgit; cum ex Scriptura de Abele et Christo constet, ex dignitate personæ operantis valorem et dignitatem operis præcipue haberi.

Quoad 3^m. constat rursus tum ex parabola operariorum Matth. 20., ubi, dum dicitur: *Nonne ex denario convenisti mecum*, et fit applicatio ad meritum pro regno cælorum, ratio æquitatis et justitiæ inter laborem ac mercedem ponitur in conventionem seu promissione mercedis sub conditione laboris: tum ex TRID., quatenus id Sess. 6. c. 16. docet, justis bene operantibus proponendam esse vitam æternam, *tanquam mercedem ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddendam*; tum ex AUG. qui serm. 16. de verbis Apost. (al. serm. 158. n. 2.) inquit: *Debitor factus est (Deus) non aliquid a nobis accipiendo, sed quod ei placuit promittendo*, etc. Tum ex ratione, quæ docet, nec Deum constitui posse debitorem, nisi quatenus convenit, ut sit *fidelis* et stet promissis; nec opus quantumvis excel- lens exigere posse præmium, nisi pactum intercesserit.

Quoad 4^m. constat iterum tum ex Scriptura, quæ ubicumque de præmio operum loquitur, illud ad ipsum operantem refert; unde de operantibus universim dicitur ad Rom. 14. v. 12. *Unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo*; et 2. ad Cor. 5. v. 10. *Ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum*; de justis autem Apoc. 14. v. 13. additur: *Opera enim illorum sequuntur illos*: tum ex TRID., quod vocem *ipso- rum* relativam bonis operibus merentibus addit: tum ex S. AUG., qui L. 1. de pecc. mer. c. 14. docet soli Christo convenire merendo sanctificare alios; imo Tr. 73. n. 3. et 102. n. 2. in Joann. contendit, neminem alium posse pro altero orando quidpiam pro eo infallibiliter impetrare: tum ex ratione, quæ docet adæquate id referendum in liberam Dei ordinationem.

Pars II. Quoad 1^{am}. patet; quia, quamvis opus aliquod non habeat *æqualitatem*, si tamen possideat illas condiciones universim requisitas, habet *proportionem* quamdam ad præmium; et licet persona operans non sit grata, tamen in via est per supernaturale opus ad amicitiam: item, licet careat *promissione*, tamen ordinatio consequens ex dictis adesse supponitur: unde licet ex justitia non debeatur merces, ex convenientia tamen, congruitate ac decentia aliquod debitum æquitatis oritur.

Quoad 2^{am}. autem liquet ex eo, quod, sicut ad omne imperfectum, sic et ad imperfectum meritum, sufficiat aliquis defectus perfectionis.

438. Dico III. Ad neutrum meritum requiritur, ut aut sit omnino æquale, aut prorsus indebitum, aut penitus nostrum, et nulla ratione præmiatoris.

Prob. I. Universim *negative*; quia pro his conditionibus nec ex auctoritate, nec ex ratione solidum fundamentum præsto est; ut ex solutione objectionum patebit.

II. Speciatim et *positive*. Et quidem quoad 1^{am}.; tum quia ex 2. ad Cor. 4. 17. *Id, quod in præsentem est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur*; tum quia TRID. Sess. 6. c. 16. ait, *in sacris litteris usque adeo bonis operibus tribui, ut etiam qui uni ex minimis suis potum aquæ dederit, promittat*

Christus, eum non esse sua mercede cariturum; tum quia nec inter meritum et præmium tanta æqualitas requiritur, quanta inter *pretium* et *mercedem*, quæ ipsa tamen omnimodam æquiparantiam non exigit; nec retributio meritorum fit ex justitia stricta, quæ communius inter Deum et hominem negatur: sed tantum ex justitia *minus stricta*, eminentiali, gubernativa, distributiva et proportionali; nec justitia Dei stricta, si quidem hæc etiam in retributione operis asseratur, fundatur in sola, aut absoluta comparatione operis cum munere reddendo, sed aut primario, aut simul in promissione Dei et pacto.

Quoad 2^{am}. Quia, quod *ratio debiti ex præcepto* non obstat merito, patet tum ex Scriptura vitæ æternæ mercedem observationi mandatorum promittente; tum ex TRID. Sess. 6. c. 16. docente, nihil deesse justificatis, *quo minus plene illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, divinæ legi pro hujus vitæ statu satisfecisse, et vitam æternam.... vere promeruisse censentur*. Quod etiam non obstat ratio debiti *ex conditione hominis servili*, liquet ex eo, quod Deus homini concesserit libertatem arbitrii et dominium in proprios actus, in quo, sicut ratio demeriti, ita et meriti radicatur; demum quod nec defectus commodi in Deum conferendi, aut alia ratio quæcumque obstat, ostendit meritum Christi, quod alias etiam foret negandum.

Quoad 3^{am}. verum quidem est, quod meritum debeat esse *nostrum*; sed falsum est imprimis, quod opus per et cum gratia factum nequeat dici nostrum, ut volunt Hæretici; tum quia ex SCRIPTURA, CONCILIIIS ET PATRIBUS patet, opus istud vere etiam a nobis fieri cum libertate agendi vel non agendi: tum quia ex legibus etiam humanis patet, recte dici nostrum, quamvis cum alio sit commune, ut ex L. 5. ff. de leg. et fideicomm. constat. Deinde vero falsum est, quod meritum nulla ratione debeat esse *præmiatoris*, cum alias nec Christus potuisset mereri, nec miles, Principis armis vincens, mercede dignus foret.

439. Obj. I. Justitia inter datum et acceptum postulat *æqualitatem*; et Deus etiam in retributione servat totam justitiæ formam; ergo in merito theologico debet dari omnimoda æqualitas cum præmio.

R. Ad 1^{am}. D. 1^{am}. p. Justitia stricte dicta, seu commutativa, postulat æqualitatem inter datum et acceptum C. minus stricte dicta et distributiva N. Communior autem postremam duntaxat justitiam in Deo respectu hominum admittit. Omissa tamen hac controversia scholastica D. aliter: Justitia postulat inter datum et acceptum æqualitatem aliquam, scilicet proportionis saltem aut virtutis C. æqualitatem omnimodam, entitatis scilicet aut perfectionis *subd.* ubi datum et acceptum se habent instar pretii et mercis, aut invenitur medium rei T. ubi illa se habent instar meriti et præmii, et exigitur tantum medium rationis N.

Item 2^{am}. p. D. Deus in retributione servat justitiæ formam proportionaliter, pluribus nempe et majoribus meritis reddendo præmia plura et majora, sicut paucioribus et minoribus pauciora et minora redduntur C. æqualiter omnino et commensurando substantiam ac entitatem cum substantia et entitate N.

440. *Obj. II.* Servus nihil meretur apud dominum præcepta ejus implendo, nec debitor aliquid apud creditorem reddendo debitum; ergo nec homo meretur aliquid apud Deum per quemcumque actum, utpote vel præceptum, vel aliis titulis plus quam ex justitia debitum; præsertim quia Christus Luc. 17. v. 10. ait: *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutilis sumus; quod debuimus facere, fecimus;* et similia THEOPHIL. in hunc locum, ac BERN. serm. 22. de diversis n. 6. docet.

R. T. A. N. *Cons.* Disparitas est; quia apud homines valor operis consideratur juxta quantitatem laboris in utilitatem alterius impensi, et utilitatis ex labore vel opere emergentis; utrique autem decedit, si labore aut utilitas sit debita: apud Deum vero valor operis ex morali ejus bonitate, et ad hanc bonitatem resultante in Deum gloria; cum vero illa habeatur, et ista Deo dari censeatur, quatenus opus aliquod voluntarie, libere ac alacriter facimus, atque hoc non minus in operibus tam *debitis* et præceptis, quam *indebitis* et non præceptis haberi queat; inde nec valori, nec merito aliquid decedit.

Ad prob. R. Imprimis in textu allato non negari *meritum operis*, sed utilitatem Deo allatam; alias vero etiam servum appellari bonum et fidelem, ut Matth. 23. et alibi legitur. Præterea *inutilitas* illa repeti potest vel ex hoc, quod propriis viribus et sine gratia nullum efficere bonum possumus, vel quod Deus potuerat nobis mandata proponere mercede nulla promissa. Demum his verbis Christus intendit nobis commendare *humilitatem* in bonorum operum exercitio, vel excitare nos ad opera etiam liberalia et supererogationis, vel accendere in nobis studiosam *solicitudinem* et *perseverantiam*, cum *inutilis* servus Matth. loc. cit. accipiat pro cessatore et otioso.

Inst. Præceptum vel tollit *omnem libertatem*, ut in Christo, B. Virgine et aliis in gratia confirmatis, in quibus sicut locum non habet illud: *potuit transgredi et non est transgressus*, ita nec illud: *ideo stabilita sunt bona illius in Domino*; vel aufert saltem *libertatem moralem*, licet non naturalem, in aliis; quæ tamen ad meritum tanquam aliquid morale maxime est necessaria; ergo.

R. N. A. Pars prior est falsa; cum nec Christus, nec B. Virgo, nec alii in gratia confirmati caruerint libertate, ut alibi ostenditur. Falsa etiam est posterior; quia moralis libertas non stat in hoc, quod aliquid possit tam fieri, quam omitti impune, ut objectio supponit; sed in facultate agendi et non agendi per intrinsecum rationis usum, seu actio vel omissio licita sit, seu non; quæ sane etiam sub præcepto manet: si vero *libertatis moralis* nomine forsân intelligeretur exemptio ab obligatione vel necessitate præcepti; negamus hanc ad actionem moralem requisitam, ut patet in peccatis et demeritis.

441. *Obj. III.* Opera bona, quæ in nobis fiunt, tota sunt a Deo; tum quia hoc expresse declarat Aug. in Enchir. c. 32. et L. de don. persev. c. 13. n. 33.; tum quia id insinuat Paulus 1. ad Cor. 15. v. 10. scribens: *Abundantius illis omnibus laboravi; non ego, sed gratia Dei mecum;* ergo nequeunt esse nostra.

R. D. Totum est a Deo totalitate effectus C. totalitate causæ N. Quod testimonium Pauli attinet, illa verba: *abundantius laboravi, et gratia Dei mecum,*

satis demonstrant, non gratiam solam, sed et hominem operari. Itaque sicut dum Matth. 10. v. 20. dicitur: *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis;* his verbis non excluditur loquela propria ab Apostolis, sed tantum denotatur eos loqui, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis, ut Act. 2. v. 4. exponitur; sic et illa negatio, *non ego*, hunc unum designat, quod Paulus nihil fecerit absque gratiæ auxilio.

ARTICULUS II.

AN IN HOMINE POSSIBILE SIT, AC DETUR MERITUM THEOLOGICUM?

442. *Nota.* Adeo Novatores omnes negant, vel justos homines suis operibus, quantumvis ex gratia fiant, posse aliquid ad vitam æternam pertinens apud Deum mereri, ut Calvinus et alii vel ipsum meriti nomen tanquam extraneum a Scripturis, et per Scholasticos inventum respuant, et velut fastuosum Christoque injuriosum damnent. Ad hunc errorem fulciendum substernunt alium, quo contendunt, nullum in homine opus simpliciter bonum, sed omnia ejus opera esse *peccata*, licet ut talia a Deo non semper imputentur.

443. *Dico I.* Plura dantur hominum opera, quæ simpliciter sunt bona et nullatenus peccata. Est de fide, et definitum a TRID. Sess. 6. Can. 7. et 23.

Prob. I. Ex SCRIPTURA. Hæc 1º. hominum quorundam opera absolute vocat opera bona, ut Matth. 5. v. 16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona;* ad Ephes. 2. v. 10. *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus;* ad Tit. 3. v. 8. *Curent bonis operibus præesse, qui credunt Deo.*

2º. Docet opera quædam placere Deo, ut Genes. 4. v. 4. *Respexit Dominus ad Abel et munera ejus, h. e. ut CHRYS. hom. 18. exponit, grata hæc habuit et laudavit;* Malach. 3. v. 4. *Placebit Domino sacrificium Juda et Hierusalem, sicut dies seculi et sicut anni antiqui;* Sap. 9. v. 11. *Deducet me in operibus meis sobrie, et custodiet me in sua potentia; et erunt accepta opera mea.*

3º. A personis et ab operibus quibusdam excludit peccatum, ut Jobi 2. v. 3. *Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, vir simplex et rectus ac timens Deum, et recedens a malo, et adhuc retinens innocentiam?* Et David Ps. 17. v. 21. *Retribuēt mihi Dominus secundum justitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum retribuēt mihi: quia custodivi vias Domini, nec impie gessi a Deo meo.* Luc 11. v. 36. *opus perfecte bonum sic exprimitur: Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, et sicut lucerna fulgoris illuminabit te.* 2. Petr. 1. v. 10. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis: hæc enim facientes, non peccabitis aliquando;* ergo.

II. EX PATRIBUS. AUG. L. de sp. et litt. c. 36. n. 63. ait: *Dici potest quædam justitia minor huic vitæ competens, qua justus ex fide vivit, quamvis peregrinus a Domino, et ideo per fidem ambulans nondum per speciem; non absurde dicitur etiam ad istam pertinere, ne peccet.* HIER. L. 3. adv. Pelagian. n. 4. *Hoc et nos dicimus, posse hominem non peccare si velit, pro tempore, pro loco,*